

lirano lo clausuró definitivamente por decreto de 30 de Novbr. de 1865, que declaraba vigente el del Presidente Comonfort, de 14 de Sept. de 1857. En el edificio establecióse entonces el Ministerio de Fomento: hoy lo ocupa el Conservatorio de Música.

(Estas noticias están tomadas de unos apuntes manuscritos que posee el M. J. Sr. Dean de nuestra Iglesia, Catedral, Sr. D. Joaquín de Uria, uno de los pocos sobrevivientes de aquellos Estudios generales. Pueden verse también en Gaceta de Barcelona, Diálogos Latinos, págs. 16 y 17)

Este discurso, las notas y el apéndice y las últimas noticias están, como tuvo la bondad de facilitarnoslas el Sr. Sr. Solé.

Discurso sobre el estudio del Derecho Canónico; pronunciado por el Sr. D. Antonio de J. Paredes.

Non anceps diu esse potui, praeclarissimi antistites, dum ad hanc de iuris canonici praestantia orationem studium operamque navarem, quibus verbis, quaeve ratione dicendi principium instituerem. Quid enim mihi opportunum magis occurrisset, quam ad votissimam vestrum confugere clementiam, ut potest quae eo maior est, quo praestantiores sapientiae et eruditionis dotes animum vestrum exornant.

Neque enim ulla me ambitiosa rerum mearum opinio fallit, ut qualiscumque haec canonica disquisitio digna sapientiae, digna Amplitudine Vestra existimarem. Verum cum mecum ipse reputarem, qua benevolentia ac sollicitudine hanc solemnem Universitatis Pontificiae inaugurationem praesentia vestra iucundare non dedignati estis, nihil magis optabam quam ut voluntatis gratique animi significationem Vobis aliquam exhiberem, non quo parum beneficio gratiam referri posse arbitarem, sed ne plane tanti beneficii viderer inmemor.

Hisce expositis, ut consulam brevitati propositam quaestionem aggredior.

Iurisprudentia, aiebat Ulpianus, est divinarum humanarumque rerum, notitia, iusti atque iniusti scientia. Et Leo imperator, causam virorum qui iurisprudentes audiunt, extollens ait: Advocati qui dirimunt ambigua fata causarum,

suaveque defensionis viribus in rebus  
saepe publicis ac privatis lapsa erigunt, fati-  
gata reparant: non minus provident humano  
generi, quam si praелиis atque vulneribus  
patriam parentelque salvarent. Neque enim  
solos nostro imperio militare credimus illos,  
qui gladiis, clypeis et thoracibus nituntur,  
sed etiam, advocatos. Militant namque  
causarum patroni, qui gloriosae vocis con-  
fisi munimine, laborantium spem,  
vitam et posteros defendunt.

Jam vero si tot laudibus et encomiis  
tam sapientes quam imperatores civilem  
iurisprudentiam, et in ea peritissimos vi-  
ros extollunt, quanto magis laudari ma-  
joribusque encomiis prosequi mereatur  
iurisprudentia canonica utpote quae  
tantum civili tum origine, tum universali-  
tate, cum intrinseca excellentia praestat.

Et re quidem vera, iurisprudentia civilis  
divinarum rerum notitiam audit tantummodo  
ex eo quod ius naturae et gentium quod  
perfecto divinum est, explicat et ad praxim  
reducit; ius autem nostrum vere divi-  
num est. Provenat enim ab ipso Christo  
et a potestate spirituali, Petro eiusque  
in apostolica sede successoribus imme-  
diata a Christo communicata. Ipsi enim  
ad gubernandam Ecclesiam, et stabilien-  
dam et propugnandam evangelicam  
doctrinam, sive conciliis coactis, sive  
per responsiones ad eos qui in rebus du-  
biis et controversiis sedis apostolicae de-  
finitionem exquirebant, sive per consti-  
tutiones litterasve encyclicas aliquid  
ad bonum Ecclesiae decreverunt, ex  
quibus legislatio illa canonica tan-  
dem in decretalibus Gregorii IX col-

lecta, cuius notitia, interpretatio et ap-  
plicatio efficit scientiae canonicae obiectum  
formale. Praestat etiam universalitate; quia  
dum ius civile semper certum dumtaxat  
populum adstringit, ius canonicum om-  
nes Christi fideles per mundum univer-  
sum sparsos coarctat; totus enim orbis ter-  
rarum subest conditoribus huius iuris,  
Christo nimirum, eiusque in terra vicariis;  
imo si ius civile romanum quendam  
obtinuit universalitatis speciem, hoc a  
legibus canonicis accepit; nam ut aiebat  
D. Thomas in Commentario in II ad Tes.:  
"Romanum Imperium nondum cessavit  
sed commutatum est de Temporalis in  
spirituale novam vitam, veramque uni-  
versalitatem acquirens.

Quid nunc de eius intrinseca excellentia  
dicam? Jus Canonicum media incedit via  
Theologiam inter et ius civile. A prima or-  
tium habuit, eique comitatur et plurimum  
confert ut obiectum assequi valeat. Sacra  
Theologia est inter scientias excellentissima  
utpote quae ipsum Deum immediate  
attingit; sed canones illam ipsam doctrinam  
theologicam fovent ac tuentur unde a prae-  
cis theologia practica vel theologia rectoris ap-  
pellati sunt. Equidem Sacra Theologia fi-  
dem docet, haereticosque condemnat; sed  
sacri canones media opportunissima tra-  
dunt ut fides in animis fovetur et cres-  
cat, ne ignorantia obscuretur, vel tepore  
languescat, dum leges statuit ad fidem  
profundam, simulque haereticorum  
proterviam, censuris compescit. Iterum  
Sacra Theologia de divino episcopatus ori-  
gine nos reddit certos maioritatem episco-  
pi supra presbyteros luculentissimis

probationibus demonstrat; at statuta et  
leges quibus electio et confirmatio episcopi  
moderatur, ipsiusque iura, praeminentias  
necnon et obligationes in iure canonico  
traduntur. Hinc magnae laudes, quibus  
praestantissimi auctores, eos prosequun-  
tur qui huic studio totis viribus incum-  
bunt. Quantumcumque labor hic, aiebat  
Pirhing, agendo de studio iuris canonici,  
sit difficultate ferreus; utilitate tamen  
est aureus. Et Wagnereck non minore  
encomio iuris studiosos concinnat cum  
ait: Sacri canones proximum post sacrae  
Scripturae thesauros locum habent, digni-  
tateque sua et usu omnes alias scientias  
longe superant. Nec Cardinalis Ostiensis  
a citatis auctoribus passus est superari cum  
"Hanc nostram legem sive scientiam vere  
posse scientiarum scientiam nuncupari  
statuit. Et tandem ut nomen a maiori-  
bus satis cognitum pro colophore adiciam  
liceat mihi cl. Berardi citare aientem:  
"Dicere soles cum qui insalutata canonum  
disciplina Theologus, aut qui insalutata theo-  
logia canonum magister audit, non theo-  
logiam aut canonum disciplinam, sed  
theologiae vel canonum disciplinae di-  
midium possidere.

Quod si tot gravium virorum collectis sen-  
tentiis aliquid addere opus sit, vel ipsam  
Ecclesiam audiamus quae studium in-  
iurprudentiae canonicae veris ecclesiasti-  
cis nedum commendavit, verum etiam  
imperavit: sciant sacerdotes Scripturas sacras  
et canones, et omne opus eorum et doctri-  
na consistat (canon I. dist. 38 desumptus  
e Concilio Toletano IV can. 26). Nulli sacer-  
dotum liceat canones ignorare (canon 4).

Nec uberius studio nostro statui  
congruentius commendari potuisset in hisce  
sacris voluminibus quae post divinam scrip-  
turam primum obtinent locum, sunt ar-  
ma, spes, protectio nostra ut ait Julius II  
Papa ad Episcopos orientales: Nolite errare  
fratres charissimi, doctrinis vanis et extra-  
neis nolite abduci. En instituta Apostolo-  
rum et apostolicorum virorum, canones-  
que habetis. His fruimini, his circumdani-  
ni, his delectamini, his armamini, ut his  
freti, circumdati, delectati, armati contra  
cuncta inimicorum iacula persistere va-  
leatis.

At ne longiore <sup>vos</sup> sermone morer, reliquum  
est ut liceat mihi hanc diem perincun-  
dam salutare in qua nova et nobiliora pro  
canonica disciplina, addiscenda, incitamen-  
ta condita sunt. Et re quidem vera, nobis  
optatissimum accidit, ut iam fere exeunte  
quarto ~~decennio~~ decennio a die quo nobilis-  
sima et amplissima Universitas <sup>Mexicana</sup> Gregoriana [10]  
desiit, nunc denuo gratia et benignitate  
Sapientissimi Pontificis Leonis XIII restituta  
auspice ac praesente praecclarissimorum Episco-  
porum coetu studiorum condamus no-  
vum saeculum eorum ductu et auspiciis  
irituri. Et quia maxima laetitiae volup-  
tate perfundimur ex praesentia tua viri  
amplissime, qui apud nos Romani Pon-  
tificis vicem geris, illud postremo suppli-  
ces oramus ut huius universitatis mode-  
ratores, doctores atque alumnos fidei ac  
tutelae tuae commendatos habeas, utque  
summum totius Christianae gregis  
Pastorem de firmissimo nostrae fidei et  
amoris erga eum obsequio, certio-  
rem facere non renuas.

Oración latina sobre la excelencia de la teología, por el Sr. D. Arísteo Aguilar.

Excellentissimi viri: auditores amplissimi: adolescentes discipuli optatissimi.

Omnes quidem mihi laudibus digni videntur qui in assequendis naturalibus ut dici solent, scientiis operam suam collocant; sed singularibus ac praecipuis qui veluti maiore quodam numinis afflatu percussi, ceteris omnibus posthabitis, ad divinarum rerum intelligentiam omnes cogitationes suas atque omnia studia contulerunt. Nam si eorum omnium quae in universitate rerum cernuntur, unumquodque naturali perficiendi sui desiderio tenetur, et animus noster ad similitudinem Divinitatis effectus tanto perfectior est, quanto propius ad illud ex quo ductus et propagatus est exemplar accedit; dubitari profecto non potest quin ea sit omnium praestantissima facultas, quae quoad eius fieri potest, divina cum humana copulando, mortalitatem nostram, quantum illius imbecillitas patitur, divinae naturae arctissima colligatione devincit.

De illius mihi facultatis laudibus, hodie die, sermonem habere demandatum est ab eo, cuius apud me plurimum valet et apud ~~et~~ omnes peneque valere debet auctoritas, non ut eas quidem singillatim percensere omnes, ac flore orationis convestire conarer (quod et praecipere iniquum esset et suscipere temerarium); sed ut ex illa copia, fere innumerabili pauca quae =

dam seligerem de quibus ex hoc amplis-  
simo loco, vobis audientibus explicarem.

Qua de re, cum mecum initio agerem, refugiebam equidem, tanti oneris magnitudinem, veritus ne id mihi contingeret, quod hospiti alicuius scientiae solet accidere, praecipue ex eo quod inter viros eruditissimos mihi esset loquendum et quidem de rebus divinis; quod exigit divinum orationis genus et facultatem dicendi, quae vires meas omnino superare cuilibet vestrum inde a prima fronte videbitur. At ista antea fortasse maiore quadam cautione providenda erant, nunc autem iam semel altum ingressis, vela facienda sunt quaecumque nos tempestas accipiat. Illud solum a vobis summopere contendo, ut, quando omne mihi periculum in vestra bonitate ac clementia situm est, tenuitatem meam vestro favore sublevetis, quo mea oratio, his secundis veluti subiecta ventibus, portum quem sibi proposuit, facilius sese recipiat. <sup>Insuper, ex quo.</sup> Si nihil diceremus aliud nisi, eam quae antiquissimo vocabulo Theologia dicitur, scientiam esse, quae Dei Optimi Maximi sapientiae thesauros hominibus ostendit; tamen hoc, ut opinor, liquido constaret, quanto aeterna temporalibus, immortalia caducis, divina humanis antecellunt; tanto esse hanc facultatem caeteris omnibus anteposendam. Sed quemadmodum qui praecleari alicuius aedificii pulchritudinem, pervidere ac penitus cognoscere cupiunt, non satis sibi esse ducunt, illud uno totum ad spectu contem-  
plari; sed singulas etiam partes accuratè perlustrandas sibi ac considerandas putant; ita nos si huius praestantissimae facultatis partes paulisper excutere voluerimus, hunc tandem, quanta illius

ut pulchritudo intelligemus.

Theologia igitur, eruditissimi viri, ut a maioribus nostris accepimus duabus praecipuis partibus constat, quarum una de actuum conformatione cum lege et conscientia agit; altera de adhaesionis intellectus nostri rationabili obsequio, ut Paulus aiebat, pertractat. Prima ut fundamentum, habet legem, quae non ab humano profecta est consilio neque similis earum, quae hominum arbitrio feruntur in quibus multa inepte, nonnulla etiam impie, sancita reperies; sed quae primum ab huius universitatis Parente hominum omnium mentibus impressa atque insignita, dein eiusdem Dei digito in libris sacris insculpta est, ne ulla improbis relinqueretur occasio suis ignorantiae facinoribus simulandis. Hanc in duo summa capita complecti liceat: eorum prius ad veri cultum numinis reducitur; posterius vero ad relationes homines inter subditos et superiores tuendas pertinet, atque haec nunc iam apud omnes audit Moralis Theologia.

Atque hic per transennam saltem liceat agnoscere imbecillitatem nostrae naturae ex eo quod quamvis pauca admodum ea quae in apte natura facillima praeccepta sint, semper tamen deficiamus alicubi, neque unquam stabilem innolescentemque cursum perpetuo retineamus. Tremefactus itaque hac comparatione, Christo animus se indigere cognoscit in cuius sinum confugiat, cuius se vicibus provehat, sub cuius bonitate tutus ab his quae lege proposita sunt supplicis delitescat: unde rectissime Paulus legem paedagogum, qui veluti manu apprehensus

nos ad Christum deducat nominasse vi-  
deatur.

Haec lex superat omnes vel ex eo, quod  
ab eo qui solus veri Dei nomine censendus  
est nobis traditam accepimus, ut nihil ne-  
que immutari, neque adici neque detrahi  
possit.

Sed deveniamus ad aliam partem the-  
ologiae, quae iam ab omnibus dogmatica  
scholastica dicitur.

Huius excellentiam, huius laudes in  
eo consistere intelligimus quod omnia,  
quae de religione, Dei natura animique  
immortalitate, clarissima methodo atque  
tunc sole clariore nostris mentibus pate-  
faciat.

Haec Theologia est vere proprieque scien-  
tia christiana; nam ipsa Christus aperitur, qui,  
modo forma in ipsum persuasione vita-  
mur, non vana et otiosa, quam multi  
innaniter iactant haeretici inquam prote-  
stantes; sed solida ac bonarum actionum  
perpetuo facunda, nos, velut humeris suis  
imposita, tollet in coelum. Oh rem om-  
ni praedicatione maiorem! Oh nuntium  
vere iucundum et laetabile! Te, Christe  
Optime, ut nos liberares omnium Dominus  
cum eses, servi formam assumpsisse. Te,  
nobis quietem tuis laboribus, libertatem  
tua servitute, vitam denique tua morte  
peperisse. Et quisquam erit, qui alias omnes  
si in unum conferantur scientias cum hac  
qua, ista tam pulchra, tam admirabilia,  
tam divina traduntur ullo modo compa-  
randas putet? Haec certissime una est omni  
cura, studio, contentione dignissima. Haec  
una ut non tam liberalis vocanda, quam  
liberatrix. Haec aurea illa catena est, qua  
cum coelestibus terrestria copulantur. Haec

scala illa est, quam olim, per quietem,  
sanctissimus Jacob Patriarcha vidit, cuius  
gradibus in coelum scandere liceat, atque  
illuc Deum intueri, admirari, adorare demit-  
tentem semetipsum, ex antiquissimo illo  
maiestatis suae fastigio, seque accommodantem  
ad nostrae humanae conditionis humilitatem.

Atque haec quidem quamvis eiusmodi  
sunt, ut ad excitandum inflammandum-  
que quemlibet torpentem animum suffice-  
re posse videantur; tamen ex tam ubere  
campo aliquid amplius, nisi molestum  
est, proferamus oportet.

Uere enim illud affirmari posse video,  
eruditissimi viri, rerum omnium cognitio-  
ne dignarum in Theologia dogmatica flo-  
rem contineri, in aliis scientiis non nisi  
germina conspici. Nam quis nescit quanto-  
pere in perscrutandis rerum principiis  
vetus philosophi se torserint, quamque ni-  
hil, si res ad verum, exigatur effecerint? Alius  
mundum hunc et quidquid in eo ad-  
spectabile continetur, putat ex temeraria  
quadam, minutissimorum corporum, con-  
cursione coaluisse: alius aeternum esse  
eum neque unquam desituro, neque  
exordium ducentem ab ullo temporis prin-  
cipatu, non animadvertens hac ratione illam,  
la qua ipse tantopere abhorrebat infinitatem  
induci: qui vero optime sensisse credun-  
tur, tamen Deum veluti comitem quam-  
dam materiam adiungunt quasi artifex  
qui sine materia nihil possit efficere.

Quid vero Theologi? Huius universitatis auc-  
torem esse ac effectorem Deum, qui cum innu-  
merabilibus saeculis antecessisset, quo tem-  
poris puncto ipsi placuit, mundum hunc  
et quae illius ambitu continentur sine  
ulla materia, verbo tantum ac nutu suo ex

nihil fecit; eundemque assidue sua bonitate ac prudentia continere, moderari, fovere ac rerum temporumque varietates et vicissitudines imperare; ipsumque tandem haec et caetera omnia, non fortunae temeritate aut vi ulla materiae dirigere; sed divina sua providentia temperare.

Contemplemur et alia. Quid de humano animo philosophi? Alius eum cor esse dicit, alius cerebrum, alius cordi suffusum sanguinem, alius spiritum innatantem sanguini, alius harmoniam quamdam, alius eum ex atomis, alius ex numeris conficit; ut mihi ista consideranti, omnes certamen insaniae suscepisse videantur. Illa vero multo etiam apud eos perturbatior ac implicatior quaestio est, permaneatne animus corporeis solutus vinculis; an qui corpusculum, idem sit interitus animorum. Epicurus interire eos putat. Stoici longam ei vitam sed non perpetuam tribuunt.

Pythagoras vero incunctus est qui remaneat illos quidem docet; sed ex corporibus in alia corpora migrare. Quid de iisdem rebus Theologi? Animum hominis simplicem et individuum esse naturam, ad exemplar Divinitatis expressam, licet ortus participem, tanquam interitus expertum quae corpore soluta, si se pure ac pie gesserit in coelum evolet aeternam illic Dei beneficio adeptura felicitatem; sin se malis huiusque inexplicabilibus inexpliabilibus cupiditatibus corrumpendam dederit, ad inferos nunquam desituri supplicis damnandam deprimatur.

Quod si quae de Deo a balbutientibus philosophis dicta sunt, cum solida theolo-

gorum doctrina comparare libuerit, reperimus hos quidem certa omnia et explorata et salutaria tradere; illos vero neque satis quid dicant intelligere et credula ingenia perniciosissimarum opinionum laqueis implicare.

Quod si quis eam, quae ex levioribus studiis percipitur, amenitatem requirit in feracissimi Theologiae campis statim inveniet. Nam [si poeticis modulationibus aures demulcere] meditamur, quis unquam, ita in hoc genere excellit ut cum Moysi, cum Job, cum David et aliis prophetis ac cum Gregorio Nazianzeno, Basilio ac Chrysostomo posset comparari? Homerus, Pindarus, Virgilius et Horatius quid aliud coniverunt nisi levissima, magis plena, inutilia dum e contra illi Bullaides, magnificentiam, misericordiam ac iustitiam verbis pulcherrimis retulerunt.

Quod si nos ad historias conferamus, unde veriores ac scitu digniores, quam ex sacris Letteris repetere poterimus?

Felicissimi illi quorum animus ita est paratus, ut nunquam suavius quam in hisce studiis conquiescant: non eos aut inanum dignitatum, aut fluxarum opum adurit sitis; non eos voluptatum illicebrae molliunt et pravis omnibus cupiditatibus soluti ex illo perenni puteo aquam aeternae vitae effectricem hauriunt; ex illis perpetuo viventibus campis flores suavissimos colligunt quorum nunquam est suavitas moritura: Deo inserviunt, Deo adhaerent, eius tantum gloriae operam navant: eo feruntur, quaeque olim plene percipientur sunt gaudia, ea iam nunc mente et cogitatione percipiunt. Ergo sive domi sive foris versentur, cum Deo assidue colloquantur, sive prosperis rerum utantur successibus eidem prosperitatis

suae auctori gratias agunt; sive quid  
eis adversi accidat, eidem sacrificium offerunt,  
neque indignantur; sed verbo divino sese  
solantes quicquid a Deo immittitur, sum-  
mi beneficii loco habendum esse ducunt.

Proh Deum immortalem: quid est si hoc non  
est feliciter servire et in terris vitam coele-  
stium imitari? Oh vitae Theologia dux! Oh vir-  
tutum omnium parens, vitiorum expultrix,  
animorum liberatrix. Quid sine te non mo-  
do nos, sed omnino vita hominum sine  
te esse potuisset? Tu depravatas impurissi-  
mis opinionibus hominum mentes velut de  
integro interpolasti: tu distractos dissipatosque  
vatis idolorum cultibus homines in unius  
verae religionis societatem convocasti: tu ma-  
gistra morum ac disciplinae fuisti: tu divi-  
nitus exorta tenebras ignorantiae penitus dis-  
sipasti: tu ignis ille coelestis quem Christus in  
terras affulit, sine quo vita consistere non po-  
test: tu et vitae tranquillitatem largita nobis  
es, et mortis terrorem sustulisti.

Beatos igitur, qui ad te tanquam ad por-  
tum confugiunt. Beatos, qui se tibi a tenentis  
unguiculis penitus totosque tradunt. Beatis-  
simum Leonem XIII Pontificem Maximum,  
qui nostris hinc temporibus studia Theologiae  
provehere toto pectore incubuit: qui Thomam  
virum angelicum magistrum proposuit  
honoribus et ducem.

"Doctrinam Thomae Aquinatis, utae ver-  
bis Pontificis, studeant magistri in discipulorum  
animis insinuare, eiusque prae caeteris so-  
liditatem atque excellentiam in perspicuo  
ponant. Eandem academiæ illustrent ac  
tueantur." Hanc purissimam doctrinam  
haec Universitas nostra quae hodie auspice  
Deo et ad gloriam tum ~~Summi~~ Summi Ponti-  
ficis tum Illustrissimi nostri Archiepiscopi

sumit initium, defendit ac propagabit.

Atque his ut finem orationi meae impo-  
nam, verba adiciam ipsius Pontificis in lit-  
teris ad Urbis Vicarium, paucis abhinc an-  
nis datis: "Summa esse contentione et as-  
siduitate evitendum, ut Clericorum ordo  
quotidie magis doctrinarum cognitione flo-  
reat. Cuius necessitatem rei maiorem effi-  
cit natura temporum: propterea quod in  
tanto ingeniorum cursu tanquam inflam-  
mato studio discendi, nequaquam posset  
clerus in muneribus officisque suis cum  
ea quae par est dignitate atque utilitate  
versari si quae ingenii laudes tantopere  
expetuntur a caeteris eas ipse neglexerit."  
Vos idcirco, viri optimi, qui partim huius  
praestantissimae disciplinae verticem con-  
sequuti estis, patim illius principia nunc  
didicistis, macte animo adlaborate ne-  
que vos aut difficultates deterreant, aut  
voluptates avocent quominus in sacratis-  
sima hac scientia proficiscamini. Vobis  
enim vigiliarum laborumque vestrorum  
et magna hic inter homines praemia et  
maiora sunt in coelo divinitus con-  
stituta.